

non ostentationis sed pietatis ergo. 7. Austeram admodum jejunii lex posterioribus seculis plurimum mitigata est. Nam duodecim seculis præcedentibus non solum à piscibus & lactiniis, sed à vino quoque & oleo, ac condimentis, sale excepto, abstinentum erat, solaque *Xerophagia* sive esus aridorum, & quidem toto verni jejunii tempore non nisi post sextam à meridie horam permissus erat. Hoc tamen seculo consuetudo invaluit, ut post horam tertiam pomeridianam corporibus cibus indulgeretur. 8. *Sacræ Inquisitionis Officium* contra hæreticam pravitatem S. Dominico, Albigensum hæreticorum malleo, demandatur. 9. Bonifacius VIII. annum *Jubileum* 1300. solemniore ritu celebrandum indixit. 10. Iis, qui sacro bello nomen dabant, peculiare *Indulgentia* sunt concessæ.

8. *Quæ religiosa familia instituta?*

1. Ordinem SS. Trinitatis redemptionis captivorum à S. Joanne de Matha & S. Felice Valesio institutum Innocentius III. A. 1198. vel certè A. 1209. confirmavit. 2. S. Franciscus Assisias A. 1208. Ordinis sui, dein ab Innocentio III. & Honorio III. approbati, fundamenta jecit. 3. Ordinem Prædicatorum auctore S. Dominico confirmavit Honorius III. A. 1216. 4. Carmelitis circa montem Carmelum dispersim degentibus B. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus sub annum 1209. regulam conscripsit, ab Honorio III. A. 1226. approbatam. 5. Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum auctor est S. Petrus Nolascus, adiutoribus S. Raymundo Pennafortio & Jacobo I. Arra-